


217
DEICHTHYOTYRANNIDE
LIBER IN LVSITANORVM

REGVM GRATIAM, ET COM-

mendationem à Cadabale

Gravio editus.




¶ Subijt sanctæ Inquisitionis examen.

¶ Ex officina Ioannis Blauy de Agrippina
Colonia. Anno. 1563.

¶ Argumentum.

CÆdibus, impietate, malitiaq; hominum mur-
di fabricator iratus mortale genus immisso pe-
totum orbem diluuiio perdere cōstituit. Cum vxor-
nuribus, filijsq; Sem, Cham, Iaphet (receptis terrestr-
bus atq; volatilibus animantibus) fabricatam ingre-
ditur Arcam magnus Patriarcha Noam, quem cum
prole propietate ab immānibus monstris, marinisq;
belluis eripuit Deus. In pisces odium apperitur. Opus
ICHTHYOTYRANNIS inscribitur. Serenissi-
mo ac religiosissimo Principi Henrico Cardinali
clarissimi Sebastiani Lusitanix & Algarbiorum re-
gis imperium admirabili prudentia necnon sapien-
tia moderanti, dicatur.

SERENISSIMO ATQVE PRÆCEL-
lentissimo Principi Henrico, Cardinali Emanue-
lis inuictissimi Lusitanæ, & Algarbiorū
Regis, Indici, Persici, Africi, Arabici,
Æthiopici, dominiq; Guineæ
filio, catholicæ fidei vigi-
lantissimo propug-
natori, Cadabal
Grauius.
S. D.



*V M agerē Viennæ serenissime Princeps à nō-
nullis, qui tunc temporis meā (si qua est) doco-
trinam seclabantur, te audiente, atq; laudante
comœdiam agi, vt tuæ sublimitati quoquo mo-
do placerem, nō alienum à mea sterili profesio-
ne duxi, habita prius à me oratione in qua pro mea mediocrita-
te inuictissimi patris tui egregia gesta, immortales laudes, in sig-
nes victorias necnon gloriosos triumphos cōmemorabam. Vnūq;
præcipue in gloriam tanti Regis epigramma me dixisse recor-
dor, quod ne forte desideretur adscribam.*

M Agnus Alexander tumidus, clarusq; trophæis,
Vrbibus & populis captis toto orbe subactō,
Militibus fessis bello, longoq; labore,
Venerat ad rapidum, sic quem vocat incola Sandum
Et genibus flexis supplex in margine ripæ
Constitit, & tales oculos ad sydera tollens

A 2 Protulit

Protulit ore preces gnato da Iupiter Hammon,
Terminus vt fiat venturis regibus Indus.

Cui Pater arridens folio respondit ab alto
Non dabitur cuiq̃ transire fluenta, quousq;
Optimus Emanuel regum fortissimus olim,
Dulce decus patriæ, Hesperio regnabit in orbe,
Qui longe à tergo victor tua signa relinquet.

Seruiet huic pontus, simul & Gangetica tellus,
Quicquid Sol oriens, mediufq;, cadensq;, tuetur.

*Atq; alia, in quibus nostrum ingenium quod duri, & inopinati
fregere labores, probasti, meq; indignum muneribus affecisti. Et
nisi mortifera & improuisa pestis corrupto cæli tractu, illo tem
pore turbaret omnia, me tecum tulisses & domi habuisses. Sed
inimica me præcipitem (vt ita loquar) trahebant fata Sic enim
prostrauit, sic afflixit fors miserum acerba, vt secundiorẽ For
tunam nisi tu dederis (Qui nostrum seculum ornas, decoras, &
illustras cuius præclarissimas regalis animi dotes, atq; memoran
da facinora tam non possum prædicare, non admirari, non extol
lere quàm tu non augere.) post hac vix sperare ausim. Nunc ve
rò acta meliore vitæ parte, senio confectus, & cito moriturus ad
te serenissime Princeps dulci patria, atq; natali solo relicto, tan
quam ad ancoram sacram et tutissimum Asylum, tua singulari,
solitaq; beneficentia, & benignitate fretus confugio. Cumq; ni
hil præter de fatigatam laboribus animam, & cõsumptum æta
te corpus habeam, postquàm pro meo captu Christianissimi, atq;
præstantissimi Regis tui charissimi fratris lamētabilem disces
sum*

sum defleui, & celeberrimæ necnon prudentissimæ Regine Catharinæ incredibilem, & incomparabilem dolorem (quantum meæ potuere vires) significavi, ICHTHYOTYRANNIDEM, & hominum in pisces antiquum, & manifestum odium, opus nouum, et à nullo, quod ego legerim, anima luei sum, aut scriptum paucis contexui versibus, quos venerabili nomini tuo, tenuis homo Fortunæ, & nullius propemodum consilij audacius quàm decuit dicare constitui. Vigiliis igitur deuotissimi clientis, licet regni gubernatione, & assiduo negociorum pondere districtus, & occupatus existas ne despice, qui nihil nisi grã dia dare soles, Mæg. in tuorum suscipias clientelam suppliciter oro, vt iuxta ripas Tagi, te meo Zephyro flante, tuas, atq; tuorum amplissimas laudes Cycnus ego tuus, quoad vixero canam. Hoc te etiam pro tua egregia humanitate, & in signi clementia oro (nisi improbum est) vt si qua de me apud celeberrimam Reginam Catharinam oriatur mentio, (orituram enim scio, si velis,) me illi deditissimum, & Lusitanorum regum gloriæ, & eternitatis studiosissimum amantissimumq; esse ostendas. Quantum enim apud illam tua regia sit autoritas valitura cõpertum habeo, & intelligo. Quod si me apud clarissimam, benignissimamq; Reginam commendes, ad feliciorum Fortunam rediturum, & rerum meliorem statum me habiturum non ignoro. Vale. Compostellæ.
sexto Callendas Augusti. Anno. 1563.

20 AD SERENISSIMUM, PRÆCEL.
 lentissimumq; Principem Henricum Cardinalem, Ema-
 nuelis inuidiissimi Portugalliae, & Algarbiorum Regis,
 dominiq; Guineæ, Indici, Persici, Africi, Æthio-
 pici, Arabici filium catholice fidei vigi-
 lantissimum propugnatorem Cada-
 balis Grauij Ichthyotyrannis.



Vr genus humanū pisces, et aq̄tica mōstra
 Oderit, et quāuis moriētes littore cernat
 Ponti cultores, nemo tristatur, amore
 Prosequimur naturali gradientia terris,
 Necnon & celeri volitant quæ animantia penna.
 Quæ si forte iacent morbo, miseramur, & vltro
 Auxilium ferimus, cumq; expirantia tabo
 Cernimus, irrumpit sinuosa in pectora mœror.
 Euenit id contra mutis in piscibus altum
 Quos pelagus tumidis condit sub fluctibus, vnde
 Tantum odium vates domino memorate canori
 Henrico, veterumq; præfert stemmata Regum,
 Lusitanorum clarum lumenq; decusq;.
 Gloria quem celebris liquidum super ætheravectum
 Tollit, & æternos merito largitur honoros,
 Sancti debetur Petri cui magna cathedra,
 Romulidæq; vocant, generosi dicite cycni,
 Nondum causa patet longis incognita sæclis
 Rustica nam proles, tantos non pectore motus
 Concipit,

4
Concipit, ingenium dederit Natura licebit,
Labitur, & raro sublimia facta virorum
Degener ostentat, mentem reprimente pauore.
Non pede fraternam pugnam, aut Marathoniam gesta,
Nec commutatas aliena in corpora formas.
Non Priami celsas arces, nec ludicra dicam.
Terrificos strepitus hyemes, coeliq; ruinas,
Emissumq; super terram magnum Cataclysmum,
In pisces odium, latoq; natantia ponto
Monstra, piūq; senem; exanimataq; corpora fluctu,
Lysiadum stirpem, memorataq; praelia regis
Alphonſi Henrici, quō non animosior vllus,
Paucis attingam, quamuis mihi sorte negatum
Carmen, & annosum corpus vitiauerit ætas.
Non ego Pimpliades Musas, Phœbumq; vagantem
Corycidas iuxta lymphas, Helyconaq; sacrum,
Cui iuuenile caput fertur Parnasside victum
Lauto, sed supplex palmas ad sydera tendens,
Altitonantis opem, sanctum & venerabile numen
Inuoco, rimosam Grauij Pater optime cymbam,
Aduersis ventis inter scyllam, atq; Charybdin
lactatam, quacūq; furēns rapit impetus illam,
Dirige per nebulas, misera formidine pectus
Eripe, & obscuras animo propelle tenebras,
Omnia namq; potes tibi magna potentia rerum,
Et sine te factum nihil est, dominaris vbiq;
Membra metu titubant, gelidus præcordia sanguis

Turbat, perq; oculos nocturna recutrit imago.

Cum pater omnipotés hominú pertæsus iniquos
Mores, perfidiam, furias, animosq; superbos,
Sanguineas cædes, fraudes, sæuasq; rapinas,
Omnia mortifero passim fruëntia bello,
Terrigenas etiam cœlum affectare Gigantes,
Quos non longa dies, virtus nec mouerat vlla,
Armaq; terribili crepitantia sumere dextra
Cerneret, iratus totum treme fecit Olympum,
Ultra non passus lethalem serpere pestem,
Constituit nimbos nono demittere cœlo,
Humanumq; genus fluctu exanimare marino.
Admonito Noa, quo non præstantior vllus
In terris fuerat, superiorum cultor & idem
Illa tempestate, bonusq; piusq; benignus
Arcam construxit trabibus, tabulisq;, iubente
Omnipotente Deo rerum factore, peractam
Ingreditur, lachrymisq; sinus madefecit obortis.
Tū genitor Cham, & Sem, gnatos, Iaphetq; nurusq;
Vxoremq; suam castam de more vocauit.
Ex omni genere inclusis animalibus intus,
Ordine, quem clare testatur, pagina sacra.
Nam duo de non sat mundis animantibus, atq;
Ex mundis septem domino suadente, recondit
Ipse Mathusalamides non tardus in Arcam,
Omnibus ex æquo positis, escisq; paratis.
Sanguinei toto rubuerunt protinus orbe,

Humano

Ex halant animas, medijsq; in fluctibus austro
Versantur pluuio (sic fata tulere) per vndas
Ingentes vrsi, Ceruiq; lupiq; rapaces.
Dorcadæ, & Tygres, Capræ fuluiq; Leones;
Setigeriq;, Sues, Machles fortesq; Bisontes.
Syluestres Apri, pardi cum Cercopithecis,
Capripedes Satyri, Panes, Fauniq; bicornes,
Cornigeriq; Boues, Vulpes, & Rhinocerotes,
Viueræ, Feles, Martes, Taxi; fugaces,
Pantheræ, Lepores, Mures vigilesq; Molossi,
Barri & Sturcones per cærule summa feruntur.
Maxima turba Canū, atq; hominū miserāda ppago
Itq; reditq; salo, toto reuoluta profundo
Corpora circumtuntur mixtim (in miserabile visu).
Neptunus, Glaucus, Phorcus, Melicerta Palæmon,
Doris cum gnatis, Tethysq; corallia vellens,
Et fallax Proteus, pelagi Rex ipse proteruus
Inuectus viridi curru, sæuoq; tridente
Innixus, Nereus redimitus arundine crines
Glaucæ, etiam varijs vectæ Nereides ibant
Prætrato Tritone, feris, totumq; videres
misceri ante oculos circum salientibus vndis
Oceanum.
Altaq; Phiseter fluctus iaculatur ad astra,
Et vacuas curui sese Delphines in auras
Iactant, horrendumq; sonant super æquora venti.
Immanesq; Rotæ, Phocæ, Zophijq; timendi

Nauibus:

Nauius, atq; Orcæ, Pristes, Polypiq; voraces,
Thynniq; incurfant ramis, iamq; ardua pullant.
Umbriferas Platanos, Arceres, Palinasq; triumphis,
Percelebres, Corylos, Tiliâs, Vlnosq; racemis,
Incuruas, Salices, Ornos, altâsq; Cupressos,
Antiquas Quercus, Lauros, Alnosq; palustres,
Et patulas Phagos, Lotos, Oleas, Terebinthos
Impete prosternunt, seseq; ad sydera tollunt.
Agmine tunc facto tûres, vrbesq; opulentas
Intrant, deturbantq; Deos altaria iuxta,
Cinctutosq; Lares fœdant, lacerantq; Penates,
Donaq; diripiunt templis sacrata vetustis.
Inde per immensos montes, collesq; supinos
Insultant, ludunt, totumq; vagantur in orbem
Orbeq; submerso latos duxere recursus,
Atq; per Europen, Asiam, libyamq; reuertunt
Orcæ, Balenæ, Pristes, & grandia Cete,
Quæ Lyncas, Raphios, Vitulos, volucresq; natantes,
Sphingas, Pantheras, Apros, genus omne ferarum,
Cumq; Leontophonis, Thoës, Elephantas, Hyænas,
Cum pueris miseros iuuenes, mœstosq; parentes,
Commixtas nuribus matres, tenerasq; puellas
Corripiunt, frangunt, laniant auideq; trucidant.
At Sparuli, Thresæ, Sargi, Trichæq; nitentes,
Sombri cum Salpis, Plotis, Tritonibus, Orphis,
Torpedo, Raia, Rhombi, Merulæq; virentes,
Cercyri, Tragi, Scauri, Glauciq; minores.
Atria nobilium capiunt, retinentq; frequentes,

Perq; domos errant nullo prohibente, vorantq;
Castaneas, glandesq; fabas, & dulcia poma,
Mellaq; cum tenui prægustauere polenta.
Euertuntq; toros, menlas, Epigrammata, chartas,
Historias priscas veterum monumenta virorum,
Quæ omnia Smyrnæis poterant contendere plectris,
Corripiunt rabido repetentes dente, Deinde
Conuertunt cursum in fruges, alimenta q; nostra,
Et breuiter spoliant agros, hortosq; feraces.
Præcipitum pariter Zephyris genus omne volucrū
Per mare iactatur, fluctuq; immergitur alto,
Quas Congri, Lutræ Fibri, necnon Crocodili
Concerpunt nantes, subitoq; in viscera condunt.
Certatim, & breuiter perijt genus omne volantum,
Paucis exceptis genitor quas clauserat arca.
Si qua tamen potuit nauis superesse periclo,
Immitiq; Austro, mergunt exotica monstra.
Res noua mirantem, genitis, nuribusq; timentem
Perculit ecce senem, & male prouida pectora turbat.
Insula Delus adest ventis agitata per altum
Cognita per portus, longis onerata colubris.
Qui procul aspectam cupientes scindere puppem,
Et caput indignum Noæ maculare volentes,
Protinus attollunt ardentia lumina cælo,
Stridulaq; emittunt exertis sibila linguis.
Ortygiam (heu) Aquilo plenam serpentibus atris
Arcæ coniunxit, miserum est narrare profecto,
Inuadunt omnes, tectum perumpere tentant

Horrisco stridore, senex per territus hæret
Saxo frigidior, ser opem Deus optime dixit.
Vix prece finita, supera descendit ab arce
Angelus horrisono lapsu, gladiumq; retorquens
Fulmineum, valide serpentum vulnerat ora.
Lubrica terga simul, rictus, dentesq; minaces,
In mare præcipites saliant, Delumq; requirunt
Tabi fici Sepes, Cenchres, caput, Amphisi bena
Cui duplex, dupliciq; refundit ab ore venenum.
Chersydri, Iaculi, atq; Hæmorrois Aspis, Ophites,
Et liquidæ Nartex vndæ corruptor, Ichneumon,
Atq; nocens oculis Basiliscus, Vipera, Diplas,
Scorpius, & Chelis horrens, viridesq; Lacerti,
Ammodites, Scytale, Prester, Libycusq; Phareas,
Lethifici Eumenidum crines & Gorgonis angues,
Serpentesq; aliæ, quarum per nomina curro,
Indomitas prostant iras, nigramq; Mephitim
Guttore pestifero effundunt, reuomuntq; resorbent
Albentes spumas, Strepitatq; reflatibus vnda
Inq; breui spatio fluctus submersit in ima
Æquora, namq; procul discesserat insula Coro.
Nuncius his actis, Noa spectante, manusq;
Attollente suas, celeri petit astra volatu,
Serpentes odit genitor, deceperat Euam
Serpentis forma Dæmon, cathedrisq; beatis
Expulerat patrem, quem nos vocitamus Adamum.
Tunc alius misero terror nocet ecce parenti,

Pontiuagæ

Pontiuagæ nam arcæ, fluitantes Hippothalassi,
Fulminibus sæuis, ac in sua colla recuruis,
Auribus arrectis oculisq; rubentibus igne,
Infræno cursu, & sinuosis flexibus hærent.
Non habet Europe tales fert India lucis
Bobus maiores, cælo capita alta ferentes.
Quos quia non Ianus præuiderat ante timore
Corruit attonitus. gnati sparsere iacentis
Rore leui vultum, potumq; dedere salubrem.
Percupidos cædis ventus dare terga coegit
Pugnantes contra, & longe, lateq; remouit.
Cum altus ab axe ruit Boreas furit Eurus ab ortu
Soleq; de medio Auster flat, Zephyrusq; profundo.
Qua vehitur Noam, gnati, coniuxq;, nurusq;.
Turbine ventorum per fluctus voluitur arca.
Nempe super Tybrim, Euphratè, Simoentaq; fertur
Iam superante salo. quia nondum Martia Roma
Condita tunc fuerat, nondum Babylona superbam
Condiderat Nemrod, nec Pergama Phebus Apollo.
Cum Patriarcha super Sintram veheretur in ampla
Naue tremens casu, fessusq; senilibus annis,
Candidior cygnis, audit quos ripa Caystri.
Gnatos affatur, verba exaudite parentis
Gnati, quos genui loquitur de pectore numen.
Vrbem florentem hac condet Laertius heros
Pontiuagus terra, captæ post tempora Troiæ.

Quæ

Quæ caput extollet iustis labentibus olim,
Lusitanorum clarissima regia Regum.
Hanc pius Alphonsus primus Rex inclytus armis
Henricus capiet bello, pugnaq; cruenta
A Sarracenis, video quoq; sanguine tinctum
Littus. sanguineumq; Tagum qui fortia voluet
Corpora, loricas, clypeos, galeasq; sub vndis,
Alphonsi victrice manu, stragemq; minante
Per medias acies, fugientibus vndiq; Mauris.
Fulminis ardentis flammans imitante Chimæra.
Tunc Tyrij meritas dabitis pro crimine pœnas
Eversæ patriæ, Regem comitantibus illis,
Quos vir magnanimus Boreali ducet ab axe.
Præterea reges superabit Marte secundo
Quinq; simul, meritoq; feret mox fronte coronam
Rex appellatus, sæuosq; refrerit hostes,
Atq; alias vrbes dux magnus & oppida forti
Dextra expugnabit, nec non ditio tenebit.
Istq; vbi longinquæ complevit tempora vitæ,
Compositis rebus, gnatoq; hærede relicto
Ad Superos ibit, claroq; quiescet Olympo.
Huius in æternum per sæcula longa nepotes
Semper victores, & qui nascentur ab illis
Imperiû Æthiopum in populos, Arabumq; tenebunt.
His tumidum pelagus, nec non Gangeticus orbis
Seruiet, atq; duces libyæ, regesq; superbi.

Dixerat

Dixerat Enochides sociam gnatoiq; nuroiq;
Amplexu petijt contentus prole futura.
Cumq; duos vellet digito monstrare Dracones,
Accurrit Muræna ferox, digitumq; momordit.
Coniugis & pectus cauda percussit adunca
Armatus Xiphias, Iaphet Melanurus & ipsum
Dentibus apprehendit, mordaci Scorpius ore
Sem læsit, fugitq; procul velocius aura.
Cantharus abruptit lignum, fecitq; foramen,
Quod nisi veste nurus clausissent, scilicet actum
Esset de Noa, gnatis, & coniuge fida.
Neruosam triplici, faciliq; proboscida dente
Horribilis prændit, rapuitq; Canicula Barro,
Infremuit Barrus, retroq; repente refugit
Omnia prosternens, vastæ gemuere cauernæ.
Atq; Aquilæ totam caudam, quæ puppe sedebat,
Perfecat in curua furiosus forcipe Cancer.
Ipsa quatit celeres magnis clangoribus alas,
Inq; locum tutum sese coniecit. & aurem
Amputat horrifico Vranoscopis ore Leonis,
Quem modo Vitifator Libycis adnexerat oris.
Ille fremens rumpit querulis vlulatus auras
In cassum, & rabidos exercet in aere morsus
Faber, & extantis perfregit cornua Tauri.
Ipsa Echeneis adest, Arcamq; moratur euntem,
Credidit & Noam scopulis considerare puppim.

Acced

Acceduntq; vná per pontum inimania monstra,
Et frangunt proræ tectum, rumpuntq; recessus,
Subscudes, stupas, settasq; bitumine iunctas,
Ceratasq; trabes, postes, & robora dura.
Lamechides timuit, simul & perterrita coniux
Cum nuribus, gnati subita formidine pallent.
Quod nisi cuncti potens iterum misisset Olympo
Auxilium, genitor gnatiq;, nurusq; fideles,
Et quæ restabant animalia mersa perirent.
Hinc magnum in pisces semper mortalibus ægris,
Æternumq; odium longum permansit in æuum.

Omnipotenti Deo gloria & laus
in æternum.

¶ *In zoilum.*

Ito procul mordax, dulcis tibi pocula Bacchi,
Alcinoi mensam, deliciasq; para.
Carmina ne carpas magnus quæ dictat Apollo,
Cum Grauium recreat iuxta Helycona sopor.
De te (si nescis) poenas Rhamnusia sumet.
Protinus, atq; scelus comprimet illa tuum.

¶ *Comparatio.*

Non timet impulsus incus vt maxima crebros,
Sic spernit Cadabal murmura vana canum.

¶ *Finis.*